



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. II. De Planetarum Latitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

diametris Saturni. Quintus diametris 12. Saturnus autem vario modo nobis apparet, quod omnium felicissimè explicavit Hugenius per anulum latum Saturno circumpositum; hinc enim fit, ut pro varia hujus annuli dispositione & situ, Saturnus nobis appareat nunc ansatus, nunc rotundus, nunc ellipticus &c. Si Saturnus simul cum annulo sumatur, Jove major est; si verò corpus Saturni sumatur sine annulo, tunc Jove minor est: ejus color est nonnihil pallidus.

§. II.

De Planetarum Latitudine.

PLANETÆ præter motum communem ab ortu in occasum, habent singuli motum suum proprium superius explicatum in orbita sibi propria, ad eclipticam non nihil inclinata, ita tamen ut omnes in Zodiaco contineantur. Vi hujus orbitalium inclinationis fiunt duæ intersectiones, quas nodos vocant, quorum unus in fig. 26. Australis A, alter Borealis B: & planetæ dum à nodis recedunt, acquirunt latitudinem seu distantiam ab ecliptica, Borealem vel Australem, prout pars circuli, quam occupant, Australis est aut Borealis. Hæc orbitalium inclinatio diversa est: maxima in orbita Mercurii graduum 6. & ultra: Minima in orbita Jovis grad. 1. min. 42. Nulla in sole, quia semper manet in ecliptica: varians in orbita Lunæ, quia crescit & decrescit ad 20. circiter min. ultra 5. gradus.

Nodi quoque suum motum habent in consequentia juxta signorum ordinem exceptis nodis orbitæ Lunaris, qui moventur motu retrogrado in præcedentia. Nodus ascendens seu Boreus Mercurii est nunc in Tauro, & percurrit gradum intra annos 45. Nodus ascendens Veneris est in Geminis, & gradum percurrit intra annos 76. Nodus Martis in Tauro, gradum percurrit annis 90. Nodus Jovis in Cancro gradum percurrit annis 100. Nodus Saturni nunc etiam est in Cancro, & gradum percurrit annis 68. Sed imprimis notandi sunt nodi lunæ propter eclipses, quorum unus nempe Boreus aut ascendens, dicitur caput Draconis, alter Australis descendens cauda Draconis; pars orbitæ lunaris inter utrumque nodum media, dicitur venter Draconis. Nodi lunares velocius moventur, quàm nodi aliorum planetarum, & quidem motu retrogrado in præcedentia, nempe ab Ariete ad Pisces, Amphoram, &c. Nodi sunt semper oppositi; unde cognito unius loco, cognoscitur etiam alterius locus. Nodus Lunæ Boreus conficit intra annum grad. 19. min. 19. & 43. sec. Unde signa omnia percurrit motu retrogrado intra annos 18. menses 8. dies 19. horas 5. Itaque Planetæ omnes præter Solem, pro varia orbitalium inclinatione, variæque à nodis & tellure distantia, variam quoque acquirunt latitudinem, quam distinguere oportet ab eorum declinatione; nam declinatio est distantia ab æquatore, latitudo ab ecliptica.

§. III.

De Planetarum Eclipsibus.

Hinc colliges 1. Quomodo fiant eclipses Solis & Lunæ, quæ non possunt contingere, nisi in plenilunio & novilunio: in plenilunio quidem eclipses lu-